ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Vir.

Nuper quâ nolui iannuâ, TE adij; nunc quâ volo, quâ debeo. Necessitas tum me impulit, modò allicit Officium. Illam verecundiæ obex nihil angit; hoc avido tenerique ha=litu, non mutum sed mutuum vult esse. Tuâ igitur Epistolâ me dignatus es, sed eo verborum auro palliatâ, vt nisi ab Amico non exigam, nisi a Docto non expectem. Non etenim incedit, (id quod de Seneca, Erasmus) sed fertur, salitque potius, quam ingreditur: sic Comicè, sic Ethicè elabo=rata, vt videaris voluisse, corpore et animo TE mihi amicum explicare. Hinc enim vultus Tui lineamenta adeo viua re=præsentas, vt penè Absentem complecti videar — ac veras audire et reddere voces. — Inde scintillas, animique amantis stricturas tenuâ de sub parte mamillæ, sic calidè dissim"dis, vt quas in Junio, eâ dolui viâ, quâ it omnis caro, sub"tractas, ferventioribus auctas radijs persentiscam. Quid enim? (TE mei satagentem, meæque necessitatis miserentem nactus sim, vt Junij abitus, nec damnum, nec incommodum afferre possit? Equidem spei huius et rei tanquam obsidem et sponsoriam tabellam voluisti esse, ipsum saluum-conductum quem in confertâ occupationum mole, posthabitis citioris cu"ræ negotijs procurasti; et vt sibi esset gratius, quam ocyssimè, et quasi Abaridis circumligatum iaculo, remisisti. O quam aurea faustaque coeuntis amicitiæ auspicia! sed perenna=turæ quam certa addis et prope diuina verba!

— Confide vir olim amice et Me quasi ex defuncti legato ama —

Si quæ in DEO præuisis anterior meritis Prædestinatio, eiusdem profectò Oeconomiæ coelestis idea in TE est. Prior amas; amo"ris mei ignem, calentem quidem, sed coram TE nondum lu=centem, prior accendis; et absque operis boni vehiculo, in Album inscribis amicorum. Præterea quasi illa amandi ratio, Tuæ non debeatur Indoli, ad defuncti legatum, gratiosè declinas, sacrâ cupiens metempsichosi, Tu ille esse, et ille Tu —
Attamen vnus Tu mihi summus Apollo. Tuque —
Vnica fortunis ara reperta meis —
atque adeo non alibi posthac, quam in Tuo luco, Tuoque Fano vota pando; Imò admittenda, pari confido firmitate, quâ illa, ad quam Seruator noster, Matt. 9. Confide Filia, Fides Tua te saluam fecit —

Verum-enimuerò quantum amoris testimonium tenerna Tua epigrammata? Ludente, ais; ego cunctante stylo elucu=brata. Nam si dixero purioris Phœbi venam; liminanda cedro; Gratijs dictantibus parata, Teste et Lucretius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4231

Hulsta posset accinere — tibi suaves dædala tellus
— — summittit flores —
minus, quam merentur, dixero. Sed memoriam subeat
Euripides, qui Alcestidi questus, triduo se, ternos tantum
versus deducere potuisse; atque alius centum a se facile
compositos gloriaretur, respondit; ast hoc interest, quod
Tui in triduum, mei in omne ævi tempus sufficient. Hoc
etenim, ut de Tuis censeas, omnibus Iudicibus victor
et potes et debes. Et ecce duos, id scribenti, adstantes
Principem de Crobeeck et Comitem de Stegers, poesi æque
ac stirpe illustres, qui quam ingenue consentiunt, tam
libertatem, qua hic sunt, per Tibi libenter debent.
Quare meos, Tuis quos tentabam respondere, ne tridui
gloria dignos, Vulcano tradidi. Cumque catellum, qui
horum portitor destinabatur, intuitus, inquam ego —
Parve, nec invideo, sine me, canis ibis in Hagham:
Hei quod non liceat versibus ire meis!
Vade ac incultum, dic me, lacerasse poema,
Tu gracili, sine me, murmure gratus eris.
Qua fiducia ille, non a Melita (ubi domicellis amplius
hi in deliciis, quam mariti. An non et alibi?) sed a pu-
sillitate Melitæus, istuc pro tegula, sub qua dormitet
accurrit, domini sui gratiam gyrando et latrando ve-
naturus. Mihi hunc indices gratiorem quia S.a C.do
Bredæ habuit fovitque iisdem plane notis insignitum.
Anni cum dimidio ætas; consuetudo; sub stragulo pedibus
incumbere, et micas e patinulla edere: scilicet quem
Tuis, (nam quod TE dignum, usque ignoro) paticeris
si non ad usum, saltem ad risum inservire. Interim
quod meæ unquam facultatis erit, toto pequu affectu,
vultu, obsequio, ore, stylo, satagam devotissime —

Nobilissime et Amplissime Vir

Tuæ Generositati
servus humillimus
B. de Kessel
Persona in Loon

In Loon opt Zandt
19. 10.bris a 1645 –

An item ex defuncti legato concepleris, ut in
facie apposita, Principis mei Faciem venerabun=
dus, tot inter Triumphorum suorum Praecones, pu=
sillum hoc meum adgratulandi desiderium, TE in=
ternuntio, adscribam? Equidem quantum sub al=
tero potui, tantum nunc mihi licere, tanquam
oraculi certitudine confido.

Praeterea TE, Amplissime Huygeni,
animitus rogo, ut et me gratulantem, et pro
Sua suorumque incolumitate assidue precantem
per TE intelligant —

Sua Celsitudo,
et ex hoc Fulmine,
Princeps Wilhelmus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4231

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4231